

<sup>32</sup>  
2325 Q. D. B. V.  
<sup>24</sup>  
XLI.

DE

# PRIVILEGIIS LITERATORUM

IN GENTE HEBRAEA,  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

Publice disserent  
PRAESES

M. JO. LEONHARDVS

LENZIUS,

Marcobreita - Francus,

&

RESPONDENS

AVGVSTVS MÜLLER,

Meuro - Saxo,

*In Auditorio Minoris,*

*Die XXIX. Maii Anno c. 15. CC.*

---

VITEMBERGAE,

Prelo CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

24

496?  
VIRIS

*Maxime Reverendo, Nobilissimo atque Amplissimo,*

**DN. M. JO. CHRISTIANO SAUER-  
ESSIGIO,**

Ecclesiae Graffenhaynensis Pastori, ejusque & vicinarum  
Superintendenti longe meritissimo,  
nec non

*Plurimum Reverendo, Amplissimo atque Praecellentissimo,*

**DN. M. JO. CHRISTIANO BVCKIO,**

Ecclesiæ Torgaviensis Diacono vigilantissimo,

pariter atque

*Nobilissimis, Amplissimis Doctissimisque,*

**DN. JO. CASPARO MICHAELIS,**

Not. P. Caef. Jurisqve Pract. Organœdo item ac Poligra-  
pho apud Sclibenenses multo dexterimo,

ut &

**DN. CHRISTIANO ERNESTO  
MICHAELIS,**

Not. P. Caef. Juris Pract. & Scribae apud Jessen. publico,

*Avunculis suis aestumatissimis,*

itemque

**DN. ANDREAE MOEBIO,**

Causarum Judicialium in Clöden, Reinhartz & Meuro,

Curatori integerrimo,


*Dominis, Patronis ac Fautoribus suis ea, qua par est, animi  
observantia prosequendis,*

Exercitationem hanc pietatis & obsequii pignus daturus

*sacram esse cupit*

**RESPONDENS.**





בְּשָׁ



qua gens literatorum nomen  
in pretio habuit, & viros rerum di-  
vinarum pariter & humanarum sci-  
entia florentes praemiis honoribus-  
que amplissimis decoravit, Judaeo-  
rum certe natio id sedulo semper-  
que egit, ut virtuti, qua nihil formo-  
sius, nihil pulchrius, nihil amabilius praemia tribueren-  
tur, quae maxima ab hominibus dari possent, ejusque stu-  
diosi fructus laborum gravissimorum dulcissimos conse-  
queren ur, ac voluptatibus, quae illecebrae turpitudinis,  
capti ab his abducen ur, & ad virtutis studium inflam-  
marentur. Quo nomine maximam laudem merita est,  
fecitqve, ut vanis cupiditatibus spretis plurimi virtutem  
bonasqve literas colerent, simul ac totos se eorum Rei-  
publicae darent, neqve committerent unquam, ut haec  
caperet quid detrimenti. Hic eorum homines erudi-  
tos honorandi & ceteris anteponendi laudabilis mos me  
adduxit, ut ex illorum monumentis, quae ad eruditio-  
rum dignitatem pertinere mihi videbantur, in praesenti  
exponerem, & quibus privilegiis muniti fuerint, Dispu-  
tatione publica declararem.

A 2

Th.

Literati a Regibus maxime honora-  
bantur.

Prolemaeum Philadelphum Aegypti Regem viros li-  
teris doctrinaque praestantes maximi fecisse, ac Stratō-  
neū Philosophum, doctorem suum ita suspexisse, ut ne-  
mineū unquam magis sit admiratus, remque ejus fami-  
liarem multis muneribus auxisse, rerum gestarum scri-  
ptores memoriae prodiderunt. Pari si non honore ma-  
jori Judaeorum Reges non suos tantum praeceptores, sed  
omnes & singulos in humanitatis ac literarum studiis  
versantes sunt prosecuti, cumque conveniendi aditum  
petebant, benevole libenterque mox admittebantur.  
Quos aequē ac consilii magni Senatores adductos Rex ita  
venerabatur, ut confessim de solio regio surgeret, & il-  
los dein ad latus suum collocaret. Hac de re certiores  
nos facit R. Moses Aegyptius gravissimus scriptor (de quo  
nihil tam magnifice dici posse, quin id virtus supereret e-  
jus Petrus Cunaeus alicubi ait: ) ita in Tract. טלכין cap.  
II. §. 5. scribens: וכן מצוה על המלך לכביר לומדי  
תורה וכשיכנסו לפניו סנהדרין וחכמי ישראל ועمر  
לפניהם וושיבם בצרו Pariter Legis studiosos Regi  
honorare incumbit; cumque Senatores vel ex Israëlitis sa-  
pientes eum conveniunt, surgat coram illis, neque non ad  
latus suum collocet. Ibidem Assam Regem Judae laudat  
Maimonides, quod praesenti studio de throno surrexe-  
rit, eumque osculo exceperit, atque Doctoris vel Magi-  
stri nomine compellarit. Eodem instituto Josaphat Re-  
gem Judae usum fuisse, Gemara in fol. 24. 1. his ver-  
bis refert: יהושפט מלך יהודה בשעה שהיה רואה:  
תלמיד חכם הירח שומר מכסאו ומחבקו ומנסהו  
וקורא

149

וּקְרָא לוּ אֲבִי אֲבִי רַבִּי רַבִּי מַרְיָא Cum Iosaphat Rex Iudae sapientiae studiosum videret, de throno suo surrexit, amplexatus & osculatus est ipsum, vocavitque eum Patrem, Rabbi, Dominum. Hanc consuetudinem a Regis persona abesse oportere, videri posset, cum & ejus dignitati atque gravitati, & in subjectorum animis concitato timori ac venerationi repugnet. Scendum igitur est, Judaeos in suis scriptis docere, non publice in hominum conspectu, sed privatim, quum se conveniendi potestatem Rex faceret sapientiae Magistris, hunc illis honorem tributum fuisse, R. Mose l. c. suffragante: במה רבויות אמרו בזמנ שיחיה המלך בביתו לברו הוא ועבדיו ועשה זה בצדעה אבל בפרהסיא בפני העם לא יעשה ולא יאמר מפני ארם וליא ידבר רכות ולא יקרא לאדם אלא בשם Quomodo hoc intelligentiam est ( quando Regem eruditos venerari oportere diximus )? ita nempe accipiendum, quo tempore Rex cum servis suis fuerit in aula privatim hunc morem teneat: verum publice populo praesente intermittat, neque propter ullum hominem surgat, neque cuiquam nimis familiariter colloquatur, neque ullum aliter atque nomine ejus competit, quo singulis timor sui atque venerationis iniciatur. Confirmant hoc Doctores Gemarici in fol. 103. 2.

### Th. II.

Literatorum causa in Synedrio prius atque  
aliorum decidebatur.

Tradita Judaeorum diligenter evolventi non obscurum erit, summa aequitate elegantissimoque ordine in judiciis exercendis omnia fuisse instituta, neque facile

A 3

admis-

admissum, quod justitiam evertere aut honestatis decus contaminare posset. Hiuc multis, qui causam coram synedrio dicerent, praesentibus hunc ordinem modumque aequissimum non minus ac pulcherrimum Senatores servarunt, ut prius pupillorum, dein viduarum, ac tertio Literatorum, quam reliquorum hominum litem dijudicarent, & quod pertineret ad illos, sumerent cogitandum faciendumque. Hunc morem Maimon. הוי לפניו הרוינין cap. 21. §. 6. ita descriptis: סנהדרין בعلي רין הרבה מקודמין את רון היותם לרין אלמנתן. ורין אלמנתן קורם לרין תלמיד חכם. ורין תלמוד חכם קורם לרין עם הארץ. ורין האשכח קורם לרין האשח. Quando multae partes litigantes ad judices una venerant, causa pupilli prius disceptabatur, quam viduae: Viduae vero prius quam literati: Literati prius quam privati: Et feminae prius quam viri. Confer. quoque ejus Tract. תלמוד תורה cap. 6. §. 11. Si Judex pecunia corruptus, vel alia de causa hunc ordinem servare noller, & privatos literatis antiferret; hi questum ad eum veniebant, ac his verbis, prout in Gemar. נדרין fol. 62. I. legitur, ut suam causam prius audiret, postulabant: צורבנא מרבעןanca אנה שרו לו תגראי ברושין Doctor ego sum, decernite litem meam primo. Id præterea homines eruditi cum paucis habebant commune, quod, cum in synedrio verba pro se facerent, reliquisstantibus sedere illis permisum erat, monente Maim. loc. cit. §. 4.

## Th. III.

Literati ab operibus publicis faciundis im-  
munes erant.

הוי מעת Sapienter a Judæorum Magistris dictum est: בעסך

בְּעֵסֶק וּעֲסָק בַּתּוֹרָה Quo significabant, rectius sibi  
 videri, ingenii, quam virium opibus gloriam quaerere,  
 multumque operae ac studii in discenda lege, parum  
 in reliquis rebus gerendis sapientiae cultori ponendum  
 esse. Cum enim vita, qua fruimur, brevis, & tenuis  
 animi virtus omnibus vacare non permittat, id pree-  
 ter cetera agendum, quod perpetuo sit nostrum, aeter-  
 naque cum laude conjunctum: Nam rerum reliquarum  
 gloria fluxa & fragilis est. Animum igitur, qui magis  
 quam corpus exercere, ac virtuti se dedere cupit, ab o-  
 peris publicis, aliisque negotiis & oneribus, quae a sa-  
 pientiae studio nos avellere queunt, vacuum esse decet.  
 Hinc in literarum studio occupatos legibus exemptos ab  
 horum numero & societate Judaei voluerunt, qui rei-  
 publicae onera ferre atque publicos labores suscipere  
 tenebantur. Non injucundum erit hoc ex Maimonide au-  
 dire in literarum studio scribente: תלמידיו תלמוד תורה cap. 6. §. 10. תلمידיו  
 חכמים אינם יוצאים בעצמם לעשות עם כל הקהלה  
 בבניין וחפירה של מדינה וכובצת בחן כרי שלא  
 יתבו בפני עמי הארץ ואין גובין מהן לבניין החומה  
 ותיקון השערים ושכר השומרים וכיוצא בחן וללא  
 לתשורת המלך. ואין מחייבים אותו ליתן המס בין  
 מס שהוא קצוב על בני העיר בין מס שהוא קצוב  
 על כל איש ואיש Viri eruditi non egrediuntur ipsi  
 cum ceteris reipublicae civibus ad opera publica, ut muni-  
 tionem & fossas concernentia & his similia, ne illorum  
 vilescat autoritas apud plebeios; & immunes quoque sunt  
 ab exactionibus, quae murorum struendorum, portarum  
 reparandarum, & vigilum solvendarum causa fiunt; nec  
 tenentur ad honoraria, quae Regi offerri solent; neque  
 obligantur etiam ad tributa solvenda, sive illa civitati in  
 genere sive cuique privato incumbant. Nititur hoc statu-  
 tum

tum inter alia antiquo illo apophthegmate R. Nechunja, filii Hakkanae, quod legitur in פרקי אבות cap. 3. §. 5. כל המקובל עליו על תורה מעבירין ממנה על הארץ Quicunque in se recipit jugum legis, tollunt ab eo jugum regni & jugum viae terrae. Per jugum regni intelligas tributa publica & honoraria. Regi praestanda, & per jugum viae terrae laborem, qui victui quaerendo impenditur, & conjunctam cum illo labore solitudinem, recte sic Campegio Vitrina in synagoga Vet. Libro p. 882. exponente.

## Th. IV.

Literati in emtionibus & venditionibus pri-  
mi erant.

Ne qua res studium legis impediret, aut ejus cultores alio abriperet, prudenter a Judaeis sanctum fuisse accepimus, ut si eruditis, quod venderent vel emerent, esset, nemo prius quicquam commercaretur, vel suas res venum exponeret, quam hi negotiatione defuncti essent, quo domum mox redire, & legis literarumque studio incumbere possent. Testatur id Maim. loc. cit. וכן אם הייתה סחרה לטלטיר חכם מנהיחס אותו למוכר תחלה ואין מנהיחס אחר מבני השוק למוכר עד שימוכר הו *Praeterea si literatus negotiabatur, prius illi, quam aliis in foro mercaturam exercentibus res suas vendere licitum fuit. Summa hinc cupiditas veterum Judaeorum, & incredibilis amor, quo in legem divinam ferebantur, animadverti facile potest. Ac faret optandum, insisterent hodierni majorum suorum vestigiis, neque nugamentis aliis abduci se paterentur,* sed

sed sedulo considerarent sapiens dictum, quod est in  
רבה תורה מבה חיים. פרקי אבות cap. 2. §. 7.

## Th. V.

Contemnens Sapientem, etiam mortuum,  
devovebatur.

Tria apud Hebraeos devotionis genera dari inter omnes, qui eorum monumenta scrutantur, constare putto, חרם, נרוי, שטחא dicta, de quibus apud Buxtorff. in Lex. Rabb., Maim. in תלמוד תורה cap. 6. מגלה 7. ו cap. 3. & in Gemara passim legere est. Levissima harum erat, qua quis ab aliorum societate, etiam uxoris, & domesticorum, triginta dies ad quatuor cubitos segregabatur. Ob viginti quatuor causas hanc poenam fuisse exercitam Talmudici scriptum reliquerunt, quas Maim. & Buxt. loc. cit. attulerunt. Has inter sapientum contemptio fuit, de qua Maim. ita in תלמוד תורה cap. 6. §. 12. differit: והבזה את רחכם ברבאים אפילו לאחר מותה מנין אותו בית דין והם מתרין אותוQui sapientem contemtui habet, et iam mortuum devotionis, quae נרוי appellatur, poena afficitur a synedrio, quod illam iterum resacrare solet, quando peccator ad frugem redit. Tam scelestum ac nefarium fatus esse, sapientiae amatores ludibrio expondere, Maim. loc. cit. ait, ut propter hoc homines a coelestium animorum coetu sejunctum, perpetuisque cruciatibus addictum iri certo sibi habeat persuasum.

## Th. VI.

Literati jejuniorum capiebant initium ac finem faciebant.

B

Quo

Quo instituto Iudeorum gens in jejuniis celebrandis usus fuerit, certius cognosci nequit, quam e Talmudicis tractatibus super hac re scriptis, atque huic corpori insertis, simulac e Maimonidis de jejuniis libello. quae Iudei instituere tum quoque solebant, cum tempore consueto, & commodo nullae pluviae essent demissae. Tria vero temporum intervalla, quibus in terra Israelitarum plerumque pluere solebat, a Talmudicis enumerantur. Primum est tertius dies (מרחxon Octobris) alterum, septimus, ac tertium, septimus decimus hujus mensis. Si termino hoc elapso nullas terra Israelitarum pluvias vidi, eruditi a cibo abstinuerunt, atque ita jejuniorum primordium coepérunt. Hoc in Mischnae Tr. תערת שבעה: cap. I. §. 4. seqventibus verbis docetur: עשר במרחxon ולא ירדו גשמי המחלו היחוריים מתענין שלשרה תעניות אוכליין ושותין משח��יכר זמותרין במלאה זברחותה ובסיכה ובנעילת הסנקל ובתבשימים המטאות Si jam aderat septimus decimus dies Marchesvan, neque tamen ulla descenderat pluvia, tum tres jejuniorum dies celebrare incboarunt sapientes, ita ut ederent ו biberent tantum noctu, tumque ipsis licitum esset opus quoddam facere, sese lavare, inungere, calceamenta induere, cumque uxore concubere. Quid per ייחודים, quae vox singulares proprie significat, intellectum inventum traditionum Mischnicarum Auctores, Maim. in Hilc. Taan cap. 3. §. 1. innuit: חדי שליה ירדו להם גשמי כל עיקר מחלות ימות הגשמיים אם הניע שבעה עשר במרחxon ולא ירדו גשמי מחלין תלמידיו חכמיים בלבד להתענות שני וחמשי ושני וכל התלמידים ראיין רק Quod si ab initio dierum pluvias opportunorum pluvia prorsus nulla descendebit, sique septimus decimus mensis Marchesvan aderit, neque

neque tum descenderit, incipiunt sapientes sigillatim jejunare, in diebus hebdomadis, secundo, quinto, rursusque secundo sequentis hebdomadis, sunt autem omnes sapientes ad hoc ipsum negotium apti. Neque minus *הענית* Gemara de hac ipsa voce disputatur, ubi fol. 10. Tr. מאן ייחיר ספרא sapientes intelligendos esse confirmatur: אמר ר' חונא רבנן *Quinam* sunt illi singulares? Resp. R. Chuna: sapientes sive Magistri. Ulterius in Gemara fol. cit. disquiritur de qualitate personae & ייחיד איזהו ייחיד ואיזהו תלמיד ייחיד כל hoc modo: שראו למןתו פרנס ערל' הցיבור תלמיד כל שואליות אortho רבר הלכה בلمודו ואומר ואפלו במסכתא רכלת *Quisnam est singularis?* Et quisnam est discipulus? Resp. singularis iste recte dicitur, qui aptus est praefici toti cœtui, sive ecclesiae gubernator constitui; discipulus vero, qui rogantibus ipsum rem dubiam decisam in doctrina ejus, sive Talmude, respondere par est, etiam si quaestio sumeretur de tractatu de sponsalibus, qui quam rarissime praelegitur, ut pene inusitatus sit. Alii ultima haec verba contrario modo intelligunt, ut dici velint heic: non necessum esse, ut תלמיד possit ad difficultima in Talmude respondere, sed sufficere si vel ex tract. de sponsalibus, ubi facillima decisu continentur, quaedam differere noverit. Finem sapientes jejuniorum fecisse auctor est Maim. loc. cit. §. 9.

## Th. VII.

Literati primo loco in Synagogis diviniorum codicem legebant.

Ut attente omnia & ex ordine in Synagogis fierent, priscis temporibus judaei sancivere, ut certis diebus at-

que horis sacrum codicem quis paelegeret. A quo munere neminem nisi feminam sejunctam esse voluerunt. Etenim mulieri docendi ac publice diviniores literas paelegendi partes deferre, turpe sibi fore judicarunt. Quod eorum institutum tantum abest ut reprehendendum ut summis potius laudibus efferendum, quandoquidem Paulus Apostolus 1. Cor. 14. 34. Idem in coetu christiano fieri voluit. Neque, si pluribus simul legendi copiam facerent, e re futurum crediderunt, hinc alternis vicibus id fieri, neque nisi unum uno tempore populo biblia paelegere oportere censuerunt. Omnes inter legendum arrestis auribus esse jussierunt, neque ut quis aliud ageret, aut de Synagoga exiret, permiserunt. Cum paelegens erravit, & aliter, quam par fuit, vocem pronunciavit, illam ut repeteret atque corrigeret, rectiusque pronunciaret, injunxerunt. Hoc legendi munere homines eruditi aequae ac alii fungebantur & populo sacras literas proponebant. Quibus id praeterea tributum esse, quod nemini alias contigit, ut primas in legendō tenebrent, saepius laudatus Maim. in Tr. תפלת cap. 12. §. 18. commemoravit: מִי שָׁחוֹתָ גְּרוֹלָ מַחְבָּרוֹ: בְּחִכְמָה קָוָם לְקָרוֹתָ Qui sapientia alterum paegebatur, prior quoque paelegebat.

### Th. VIII.

Juxta literatorum sententiam pronunciabat  
sacerdos hominem lepra correptum  
mundum vel immundum.

Leprae, miro inter Judaeos genere morbi, labe non  
homines tantum, sed aedificia, vestimenta etiam infecta  
fuisse, sacra aequae ac profana monumenta testantur.

Haec

Haec efficiebat homines aliorum societate indigos, aedes inhabitabiles, & vestimenta inutilia. Non temere tamen circa hoc negotium quicquam faciendum, neque prius res munda vel immunda pronuncianda, quam probe cognitam illam perspectamque faceret, cui huc pertinentia dijudicare incubuit, haberet. Hinc factum quoque est, ut, ne sacerdos lepram inspiciens erraret, non nocturnum tempus, sed diurnum, nec omnes diei horas, sed quasdam leprae contemplandae commodas existimarent. Sique sacerdos, mundane an immundae res declaranda, dubitabat, literatos consulere ac juxta sententiam eorum decernere tenebatur. Fidem hujus rei faciunt traditionum Mischnicarum Auctores cap.

הכל כשרים לראות את הנגעים אלא §. נגעים 3. Tr. בידיו כהן אומר לוי אמר שהטומאה. וחתורה. בידיו כהן אומר טמא והוא אומר טהור Nemo non bujus rei peritus lepram inspicere potest, nisi quod solius sacerdotis sit, mundum aut immundum aliquem judicare. Sique sacerdos exigua barum rerum scientia pollet, ו, quid faciat, ignorat, hominem literatum consulit, ejusque judicio mundum vel immundum aliquem pronunciat. Atque ita Mischnam exponendam & sub literis deditos intelligendos esse Maim. cap. 9. §. 2. Tract. אף על טומאת צרעת his verbis tradidit: פי שהכל כשרין לראות נגעים הטומאה וחתורה תלויה בכחן. כיון כחן שאינו יורע לראות החכמתו רואה והוא אומר לוי אומר טמא והכחן אומר טמא אכזרי טהור והכחן אומר טהור הסגנו והוא מסגנו Et si quisque lepram potest considerare, nemo tamen nisi sacerdos munditatem vel immunditatem homini adscribit. Cum vero pro eo ac par est, lepram dijudicare nequit, sapiens ו literarum laude florens eam contemplatur, dicentes

sacerdoti, immundum hunc pronuncia, & facit hoc, vel mundum declara, aut include, & sequitur ejus effatum.

Th. IX.

Literatis alios defendere coram Synedrio  
fuit permisum.

Non continuo, qui atrocis postulabatur criminis, iudices olim in gente Hebraea damnabant, sed diu multumque prius omnia perpendebant, quam ferebant sententiam. Reum testium suffragio criminis jam convictum non tamen morti mox adjudicabant, sed in aliud tempus differebant, intereaque bini conveniebant, atque diminuto cibo, vino non gustato, toto die inter se de causa conferebant, & postea demum, quam solicite omnia & circumspecte de facinore admisso secum reputarunt, poenam malefico irrogabant. Hinc, ne temere sanguinem humanum funderent, studiosis permittebant, ut, si quid haberent, quod accusati causae patrocinari vel innocentiam evincere posset, proferrent, ac pro reo facerent verba; quod Pandectae Talmudicae cap.

אמר אחר מן סנהדרין §. 4.Tradit. יש לו ללמד עליו זכות מעלה אותו ומושיבין אותו בונחים ולא הירח יורד משם כל היום כלו אם יש ממש ברבריו שומען לו Si quis studiosus, se habere argumenta innocentiae afferit, is ad judicium evocatus subsellia, inter illos consideret; neque inde descendit toto die: & si quid attulerit, quod momenti alicujus sit, audiunt ipsum. Unde simul apparet, liberalissime atque honorificentissime literarum studiosos tractatos & supra privatorum hominum sortem positos fuisse. Statutis Mischnicis subscribit Maim.

Tr.

Tr. סנהדרין cap. 10. §. 8. Illudque praeterea adjungit, si solidi quid atque sani dixerit literatus, ad dignitatem majorem eum evectum & assessorum synedrii numero adscriptum fuisse.


Th. X.  
Literatus honestissime sepelie-  
batur.

Laudi olim in gente Ebraea mortuo ducebatur, quamplurimos habere obitum suum deflentes. Hinc extitere, qui mercede proposita alios in luctus societatem vocabant, Maim. in Tr. אבל c. 12. §. 1. referente. הספר כבוד המת הוא לפיקר כופין את היורשים ליתן שכר המקוננים והמקוננות וסופרין אותוmortuo gloriosus est, idcirco coguntur heredes, mercede lugentes conducere. Quando igitur homo literis cinctus naturae debitum reddiderat, ac e corporis vinculis evolarat, omnes & singulos lacrymis & vestium ruptura hujus decessum prosequi, nec non in squalore & luctu esse decebat. Qui vero hoc intermittebat, cum Ju-  
daeи diu victurum esse negabant; כל המתעצל בהשפוי Nullus negligens sapientem lugere suae vitae tempus producit, ait Maim. loc. cit. Quae ad efferendum & sepeliendum pertinebant, longe aliter siebant in literatorum funeribus atque plebeiorum. Cum illis non occultabant legem, neque eos de uno pharetro in aliud portabant, neque tecto de-  
mittebant, sed per aedium fores efferebant, utque summatim dicam, nihil quod gloriae atque honori ipsis ef-  
se poterat, reliqui faciebant, auctor est R. Moses Aegy-  
ptius loc. cit.

Ampli-

510.

Amplior nobis differendi materia sese offerret, & plura populi Judaici beneficia , quibus literatos sibi devinxerat, commemorarem, nisi angusti, quibus circumscriptus limitibus, longius progredi prohiberent. Et enim cum mutuo ab aliis literati quid accipiebant, literis creditor, se id tempore definito restituros esse, fidem facere non debebant. Qui convitiis literatum proscindere & verbis contumeliosis aggredi conabantur , poenam 35. denariorum aureorum incurrebat. Vendentes aliquid nemini in suspicionem veniebant, mundamine an immundam rem offerrent emendam ; eos enim neque immunditiei doctrinam ignorare, neque scientes & volentes legem divinam transgressuros esse credebant.



99 A 6912



VD 77  
Sb., Retr. & Korr.



B.I.G.

Farbkarte #13



32  
23 24 Q. D. B. V.  
DE  
**PRIVILEGIIS**  
**LITERATORUM**  
IN GENTE HEBRAEA,  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI  
Publice disserent  
PRAESES  
**M. JO. LEONHARDVS**  
**LENZIUS,**  
Marcobreita - Francus,  
&  
RESPONDENS  
**AVGVSTVS MÜLLER,**  
Meuro Saxo,  
*In Auditorio Minoris,*  
*Die XXIX. Maji Anno cl, 15 CC.*  
VITEMBERGAE,  
Prelo CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

